

ILLVSTRISSIMO PRIN-
CIPI AC DOMINO, DOMINO GEORGIO FRIDE-
RICO, MARCHIONI BRANDEBVRGENSI, STETINI,
Pomeraniæ Cassubiorum, & Vandalorum Duci, Burggrauio
Noribergensi, Principi Rugie, &c. Principi ac Domino
suo clementissimo. S. P. D.



T in reliquis artibus, quæ liberales dicuntur, & reuera πνεύματα sunt, innumerabilia lucent testimonia præsentiae diuinætita præcipue nobilissima inter illas Musica conuincit sanas mentes, hanc totam mundi machinam non casu extitisse, sed & esse Deum conditorem, & conseruatorem sui operis, & omnes res utiles generi humano ab eo originem habere, & creatorem ostendere. Etsi enim in Musica causæ non satis indagari possunt, cur certarum proportionum quasi concursus efficiant dulcem harmoniam, & cur talem concentum animi hominum audire arripiant, suauiterque adficiantur: Tamen certò inde constat, cum mens humana quiddam harmonicum sit, & amans proportionum, & ordinis, in Deo fore perfectissimam harmoniam, & omnium proportionum quandam absolutam perfectionem, quarum tanquam igniculi quidam in mentes hominum deriuati, testimonium de Deo dicunt.

Vtilitas etiam huius artis tanta est, ut & Deum autorem arguat, & omnes honestas mentes non immerito ad sui cognitionem inuitare debeat.

A 2

Cum